



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei  
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

**Ammiani, Sebastiano**

**Venetiis, 1562**

Proprium à claustralibus fugiendum est propter duo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30415**

- diuite . Septima erit horror tam loci  
**Iob . 10** quàm demonum . Iob . Vbi nullus or-  
do, sed sempiternus horror inhabitat.  
**Iob .** Idem . Vadant , & ueniant super eum  
horribiles . Octaua erunt tenebræ .  
**Mat . 22** Matth . Ligatis manibus & pedibus  
proiicite in tenebras exteriores, &c.  
**Mat . 22** Nona erunt Vincula . Ibi etiam erit  
fletus & stridor dentium iuxta salua-  
toris sententiam apud Matthæum .  
cap . 22 .

*Proprium à claustralibus su-  
giendum est propter  
duo .*

**Gen . 19** **P**rimo propter exemplum Loti .  
Quæ respiciens retro uersa est  
in statuam salis . Claustralis post  
se respicit, quâdo diuitias mûdi, quas  
reliquit , concupiscit ; statua salis  
corpus eius efficitur , cum claustralis  
in claustro suo corpore conuersatur .  
statua enim similitudinem hominis  
habet, sed non est homo, sic talis si-  
militudinem habet monaci, & cenobi-  
tæ, si est Monachus, uel cenobita .  
Statua salis est, quia exemplo suo cõ-  
dit alios, & sibi utilis non est . Hoc  
**Luc . 17** exemplo reuocat ad memoriam Do-  
minus



minus dicens. Memores estote uxoris  
 Loth. Ad hoc est illud Petri. Nemo *1. Pe. 2.*  
 mittens manum ad aratrum & respi-  
 ciens retro aptus est regno dei. Secun-  
 do, propter illud quod legitur in Io- *Iosue, 7*  
 sue de Achor, qui furatus est de ana-  
 themate Ierico pallium coccineum  
 bonum, ducentos Siclos argenti,  
 regulamque auream. Ierico quæ in-  
 terpretatur Luna, mundum signifi-  
 cat, qui mutabilis est ad modum Lu-  
 ne, qui debet esse anathema religiosi,  
 in illis tribus quæ furatus est Achor.  
 Triplex proprietas intelligitur in pal-  
 lio coccineo, exterior conuersatio  
 est habens peccatum. In coccino pec- *Isa. 2.*  
 catum intelligitur. Isa. Si fuerint pec-  
 cata uestra ut coccinum, quasi nix de-  
 albabuntur. Pallium ergo coccinum  
 furatur, quando aliquid retinent de  
 exteriori conuersatione seculari, uel  
 in habitu, uel in moribus. In argen-  
 to uero proprietas rerum temporali-  
 um, quas etiam prohibitas post abren-  
 unciationem habere uolunt. In regu-  
 la aurea proprietas interior, scilicet  
 sensus & uoluntatis designatur. Re-  
 gula quæ à regendo dicitur, pertinet  
 ad uoluntatem, quæ habet regnum &  
 imperium in homine. In hac auctori-  
 tate quatuor sunt notabilia. Primum  
 est, quia Dominus dixit. Non ero



ultra uobiscum, donec conuer-  
 eum qui huius sceleris reus est. In  
 quo innuitur, quod Dominus contra  
 totam unam abbatiam, uel cœnobium  
 regularem obseruantiam profitemis,  
 iratus sit propter unum proprietari-  
 um, unde omnes debent persequi  
 illum. Secundum est illud quod  
 ibi legitur. Anathema in medio  
 Israel, non poteris stare coram hosti-  
 bus tuis donec deleatur qui hoc sceler-  
 re contaminatus est. In quo patet  
 quod propter hoc peccatum Diabolus  
 habet potestatem precipitandi  
 eos in multa mala & peccata. Ter-  
 tium est illud quod dixit Iosue. Quia  
 turbasti nos, exturbet te Deus in hac  
 hac. In quo notatur quod propter  
 turbationem eorum non debet dimitti  
 ti, quin eis auferatur. Quartum est  
 quod subditur. Lapidauit eum om-  
 nis Israel, & cuncta que illius erant  
 igne combusta sunt. In lapidibus  
 increpationes intelliguntur, è quibus  
 lapidatus est proprietorius.  
 In igne intelligitur zelus,  
 quem debent habere  
 claustrales contra hoc ui-  
 tium.